

berch et castrum de castris, Metensis, Smydeburg ac sente Iohannesberch, Mogunt(inensis), castrum Cop, Coloniensis dyocesum, et quemlibet dictorum locorum libertamus et libertatum confirmamus et eandem libertatem et emunitatem ipsis concedimus et donamus, quibus imperatores et reges Romanorum municiones libertare consueverunt, indulgentes et concedentes eisdem locis et cuilibet eorumdem ac civibus, burgensibus, opidanis et incolis eorumdem, ut omni iure, honore et honesta consuetudine, quibus opidum Frankenford est munitum, gaudeant et utantur; ita tamen, quod ex hoc eidem archiepiscopo suisque successoribus et ecclesie Treverensi nullum preiudicium generetur; quodque idem archiepiscopus suiue successores plenam et liberam habeant potestatem per se, alium vel alios, in facinorosos homines et omnes delinquentes ipsorum locorum seu territorium animadvertendi et scelera puniendi necnon tam meri quam mixti imperii iusticias exercendi et execucioni debite demandandi.

(2) Item castra et municiones Cocheme, Kenplon et Clottene, cum fidelibus, castrensibus, vasallis et ministerialibus ac subditis seu quibuscumque aliis, cuiuscumque status aut condicionis existant, villis, dominiis, theloneis, moneta, iurisdictionibus ac iuribus et pertinenciis universis, que ad ipsas municiones a retroactis temporibus spectare consueverunt, quocumque nomine censeantur, eisdem ecclesie, archiepiscopo suisque successoribus innovamus, concedimus et ex certa sciencia ac motu proprio iure proprietatis et possessionis tenenda et possidenda perpetuo confirmamus; quodque villas Kynheim, Crôue, Ryle, Bengol, Kynheinerburen, nemus dictum Contel et quecumque bona, iurisdictiones, villas, curias, dominia, iura, redditus et proventus a predictis castris ab antiquo dependentes, quibuscumque personis pignori obligatos redimere valeant et redempta tenere cum ceteris bonis ad castra pertinentibus antedicta, permittimus graciose.

(1) Rudolf I.: 1291 Mai 29 (B.-Redlich 2468) für Erzbischof Boemund von Trier: 'oppidum suum in Meyene ex plenitudine regie potestatis libenter et liberaliter libertamus et eidem loco omnem immunitatem concedimus, qua imperatores et reges Romanorum, predecessores nostri dive memorie, munitiones consueverant liberare, indulgentes et concedentes eidem loco et civibus eiusdem necnon ceteris personis quorumcumque locorum ad dictum locum se transferre volentibus, ut omni iure, honore et honesta consuetudine, quibus cetera nostra et imperii oppida muniuntur, gaudeant et utantur. Ex hoc damus predicto archiepiscopo et suis successoribus, ad quos dictum oppidum devolvi contigerit, plenam et liberam potestatem per se vel vicarium animadvertendi in facinorosos et punire scelera necnon iustitias altas exercere, salva